

# Kirchliches Verordnungs-Blatt

für die

## Savanter Diöcese.

Inhalt: 12. Litterae Decretales, quibus B. Ioanni Bapt. de la Salle Sanctorum honores decernuntur. — 13. De prudentia in agendis. — 14. Erlaß des k. k. Ministeriums für C. und U., betreffend die kirchlichen Denkmale. — 15. Verzeichnis der Conservatoren

des Kronlandes Steiermark pro 1901. — 16. Neuerlicher Auftrag, betreffend die Ausstellung von Löschungsquittungen. — 17. Hilfsaction für den abgebrannten Markt Bizniß. — 18. Literatur. — 19. Diöcesan-Nachrichten.

## 12.

Litterae Decretales, quibus B. Ioanni Bapt. de la Salle Sanctorum honores decernuntur.

### LEO EPISCOPUS

#### SERVVS SERVORVM DEI

##### AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Antequam Christus super omnes coelos ascenderet ut ad Patris dexteram sederet, discipulorum spem ita erexit suavissimis verbis, ut tamen eos de pressuris moneret, quas habituri essent in mundo. Sic videlicet deliberatum erat ut sicut ipse per crucem salutis nostrae inimicos palam triumphaverat, ita nos non aliter quam per multas tribulationes introiremus in regnum coelorum. Ut tamen in hac lacta adversus spiritalia nequitiae nemo animum despondeat, opportunum est ut, praeterquam in auctorem fidei et consummatorem Iesum, aspiciamus in eos qui in agone ante nos contenderunt ac modo coronantur et accipiunt palmam. Et huc quidem spectat ea Apostolici muneris pars ac potestas, qua Dei famulos heroicae virtutis laude praestantes, accedentibus ab ipso Deo signis et prodigiis, Christiano populo colendos proponimus, ut nobis scilicet, qui adhuc peregrinamur a Domino, exemplo sint pariter et praesidio. — Hac autem potestate laeti libentes hac etiam die fungimur, quum Ioanni Baptistae De la Salle, sacerdoti et Scholarum christianarum Institutori, coelestium Sanctorum honores decernimus. Adest enim ex toto orbe frequentissima fidelium corona quae, ob annum sacrum a Nobis indictum, ad hanc urbem et Apostolorum exuvias convenit: appropinquat et novi saeculi initium, cui maxime proderit Ioannis Baptistae documenta et exempla usurpanda proponere; nam exoptatae pacis iustitiae munere haud aliter licebit frui, quam si tenera et adolescens aetas in timore Domini et ad Evangelii leges educetur.

Rhemis, in urbe Galliarum nobilissima, pridie Kalendas Maias anno MDCLI, illustri loco natus est Ioannes Baptista, praeclarum gentis suae et catholici nominis orna-

mentum futurus. Quam pietatis suavitate toto vitae tempore prae se tulit, eandem a puero demonstravit. Festivo quamvis ingenio, lusus iocosque a teneris abhorruit, delicias unice e sanctorum historiis hauriens. Quum vero egredi domo licuit, praecipua illi voluptas sacras aedes invisere, ubi ad augustissimum Eucharistiae sacramentum et ad sanctam Dei Matrem tamdiu tantaque gravitate et ardore fundebat preces, ut adstantibus admirationi esset.

Mature scholas frequentavit; quo in officio modestia et addiscendi studio sic prae lucebat, ut magna de eo magistri pollicerentur patri. Qui quidem in magistratum civitatis adlectus, utpote qui Ioannem, maiorem natu, prae reliquis septem filiis, adamabat, illum propagandae tuendaeque familiae destinabat. Sed aliter Deo placitum ac praestitutum. Eius namque instinctu adolescens Dominum partem hereditatis suae elegit et in sacrum Clerum cooptari statuit. Nec, pro sua in Deum religione, obstitit genitor. Ioannes vero adeo se dignum suscepto habitu statim exhibuit, ut, obsistente nemine, Rhemensi canonicatu auctus fuerit; quod munus convenientium virtutum studio illustravit. Quadriennio exacto, Parisios in Sulpiciano Seminario theologicis disciplinis daturus operam contendit. Ubi addiscendi ardore ac vitae sanctimonia adeo se probavit, ut nemo eius discessum aegre non tulerit, quum, demortuo patre, domum redire coactus est, ut rei familiari iuniorumque fratrum educationi consulere. Quo in officio mire eluxit iuvenis prudentia; nam sic omnia disposuit ut familiae religiosae domus speciem referret. Quidquid porro temporis a domesticorum cura supererat, totum Ioannes orando studendoque tribuebat, id unice spectans ut sacerdotali muneri, quod maxime avebat, sese opportune disponeret. — Quod ut melius ipsi cederet, moderatorem conscientiae adhibuit Nicolaum Roland theologum Rhemensem, virum virtute egregia; quo auctore, ad scholas puerorum e plebe iuvandas se applicuit. Quin etiam, eodem suadente, utque

erat amore fluxarum rerum omnino expers, canonicatum cum S. Petri paroecia commutare voluit: at id quamvis ab Archiepiscopo instantissime contenderet, non permisit Antistes, ne canonicorum collegium tanto iuvene privaretur. — Theologiae curriculo maxima cum laude confecto, septimum supra vicesimum aetatis annum agens, Rhemis, in Metropolitano templo, Sacerdotio auctus est, Sabbato sanctioris hebdomadae. Tum autem luce postera, nulla adhibita, ut ipse statuit, exteriori celebritate, sacris primum operatus est, adstantibus omnibus admiratione percussis fidei et caritatis indicis, quae in eius ore micabant. Quam in perlitando pietatem, toto corporis habitu elucentem, constanter retinuit; ut non raro, qui intererant, eo adpectu commoti propositum melioris vitae conciperent. — Quia porro Ioannem non fugiebat, sacerdotis officium esse et mystico Christi corpori navare operam, coepit illico se proximorum utilitatibus devovere: frequens erat in invivendis aegrotis, solandis afflictis, miseris omne genus iuvandis, concionibus ac missionibus habendis, confessionibus excipiendis. Quibus industriis plures ad meliorem frugem adducebat. Interim vero sui non immemor quotidianos in virtutibus progressus faciebat; in demissione animi praesertim, mansuetudine, despicientia rerum fluxarum, abnegatione sui suaeque voluntatis uniformitate cum divina. Suscepto vix sacerdotio, conscientiae moderatorem, morte interceptum, amisit; a quo legatam habuit provinciam regendi Sorores a puero Iesu, quarum ille institutor fuerat, ut pauperes puellas, nulla spe lucri, docerent. Hoc in munere Ioannes ea fuit prudentia et constantia, ut institutum illud, ob gravissimas difficultates pene interimendum, servavit incolome; quin et litteras a Rege obtinuit, quas *patentes* vocant, quibus et congregationis securitati et scholis eiusdem in posterum consultum fuit.

Quas industrias puellis instituendis Rolandus adhibuit, easdem et pueris educandis adhibere statuerat. At mors volenti obstitit. Verum, haud ita multo post Hadrianus quidam Niel ludimagister, Rhemos a matrona quadam Ioannis consanguinea missus, advenit, ut cum eo de instituendis puerorum scholis ageret. Quantas id opus difficultates praeferebat, vidit statim Ioannes; propositum tamen laudavit, ac Nielio sese adiutorem spondit. Primum igitur Deum ut suo se lumine collustraret instantissime precatus est: tum, sibi penitus diffidens, prudentissimorum e clero consilium expostulavit. Quibus demum probantibus, magna hominum expectatione, prima schola in Mauritiana paroecia fundata est, et paucos post menses, altera ad S. Iacobi. Alumnis tamen confluentibus magistrorum copia deerat: addebatur quod Nielius, eorum veluti moderator, ferventiori, quam par esset, ingenio ferebatur ac frequentius aberat. Periculum Ioannem non fugit; quapropter ut magistros in officio contineret, frequens eos invisebat monebatque; deinde ut efficacius adiumento esset, illos, ad

aedes suas, in unam domum collegit. Quia porro Nielium, docendo quidem parem, ast magistris formandis imparem cognovit, ne tota res corrueret, in eam Ioannes devenit sententiam ut magistros ipsos penes se haberet convictoque suo donaret; id quod, adhibito prius gravium virorum consilio, festo Praecursoris die MDCLXXXI exsequutus est. Quia tamen hoc propinqui, quasi indecorum nomini, indigne ferebant; sequenti anno eodemque die, in aedes alias cum magistrorum coetu commigravit, ubi Instituti sui sedem fixit.

Hoc videlicet facto Deus ipse visus illius inclitae Congregationis fundamenta iecisse, quam catholicum ubique nomen merito suspicit, atque ipso ab exordio satanas et religionis osores, utpote sibi maxime infestam, aggredi totis viribus ac penitus labefactare conati sunt. Cuius quanta esset utilitas sapientibus quibusque statim patuit. Ioanne curante atque obsecundante Deo, biennii spatio, Rethelii, Guisae, Lauduni et in Castro Portiano scholae apertae sunt; quae, quod optimis magistris optimeque doctibus instructae, a confertissimo puerorum agmine celebrabantur, magno plane, non puerorum modo, sed re sacrae ac civilis emolumento.

Tot igitur curis distentus, Ioannes, ut erat officii retinentissimus, canonicatu iterum abire statuit. Qua in re mens etiam erat alumnis suis exemplo praeire, paupertatem simul habendamque in Deo fiduciam omnem commendando. Egit eapropter cum Rhemensi Archiepiscopo de abdicando munere: is autem negare primum; tum, viri sanctimoniam et prudentiam miratus, annuit ea conditione ut Ludovico fratri natu minori beneficium cederet. Ioannes tamen, carni et sanguini minime acquiescens, propinquis aliisque frustra obmurmurantibus, Sacerdotem pium et inopem fratri praetulit.

Neque id Dei famulo satis visum. Nam, ut ipse institutique alumni omnem penitus sollicitudinem in Deum proicerent, re probe perpensa, quidquid sibi patrimonii obvenerat pauperibus erogare decrevit. Cui facto opportunam nactus est occasionem anno MDCLXXXIV, quo tempore summa fuit annonae caritas. Christum ipsum in pauperibus inspiciens, eos saepe de genu excipiebat. Quumque ita rem suam omnem distribuisset, ipse idem, probra hominum negligens, victum ostiatim emendicare coepit. Insanire quidem vir Dei prudentibus saeculi visus est; at Deus fiduciam eius sic rependit, ut, toto biennio, quo arctior annona fuit, nihil Ioanni alumnisque illius, ut ut egenis, defuerit nulloque alieno aere gravati sint. Qua Numinis providentia sanctus Legifer sollicite usus est ad suos in paupertatis amore firmandos, unde et humilitas nascitur, quae ceterarum virtutum mater est atque alrix.

Eo ex tempore Ioannes, quamvis viribus tenuis, severius vivendi genus amplexus est: nam rudi amictu et modico vilique cibo contentus, somnum carpebat perbreve, cilicio et catena aculeis aspera, flagrisque ad sanguinem adhibitis membra atterebat. Infirmities vero, graves saepe

ac molestas, quibus afflictabatur, leni erectoque animo ferebat. Iniurias et probra clementer excipiebat, laetus quod ita Christum pro se opprobriis saturatum imitari aliquatenus daretur. Coram Deo assidue ambulans, quidquid vacui supererat temporis et noctes saepe integras orando insumebat.

Tantarum virtutum fama permoti, multi viro Dei sese discipulos addixere; quorum erat studium magistrum pro viribus aemulari. Ipse vero totus erat in illis instituendis tum religiose vivendi, tum rite docendi ratione. Quorum cum nonnulli iuniore essent aetate, seminarium eis ac veluti tirocinium condidit, ubi aptius ad susceptum vitae institutum erudirentur. Ne autem rusticorum pueri paratum urbanis subsidium desiderarent, eodem tempore Dei famulus seminarium aliud patere voluit, ruralibus magistris formandis; quod initium fuit atque exemplum scholarum, quas serius normales dixerunt, maximi sane religioni et reipublicae emolumenti.

Haec inter Ioannes primum generalem coetum instituti sui alumnorum celebravit. Praemisso sacro recessu, multa ibi agitata et statuta de regulis, de amictu, de votis nuncupandis. Tum festo die Trinitatis augustae, Legifer ipse una cum duodecim fratribus temporario obedientiae voto sese obstrinxerunt; quod postea, decennio elapso alteroque coetu habito, perpetuum nuncupaverunt.

Anno MDCLXXXVI, quum iam scholarum christianarum Societas, datis etiam legibus, constituta videbatur, Ioannes Baptista, ut erat sui despicientissimus, alium sibi in supremo regimine sufficiens censuit. Obstiteri primum fratres, quos ideo advocaverat; at demum, viri sancti moerorem miserati, in eius locum fratrem L'Heureux fecerunt, cui statim Legifer, primus et in exemplum, paruit. Id tamen cum Rhemenses generales Vicarii minime probassent, Ioannes depositum munus iterum suscipere coactus est. Qui dubitans ne ideo id fieret, quia frater L'Heureux sacerdotio auctus non esset, de eo initiando cogitare coepit. At is paulo post moritur. Cuius obitum reputans Dei famulus ideo evenisse, quod minime divino Numini placeret alumnos instituti sui ad sacerdotium evehi; haec duo lege sanxit, ne ulli Fratrum christianarum scholarum Sacerdotium in posterum petere liceret, neve in eorum scholis latinae linguae magisterium esset.

Anno MDCLXXXVIII cum Lutetiae Parisiorum nova gymnasia condi placeret, advocatus Ioannes eo cum sociis binis contendit. Ibi vero, non veteres solum scholas ordinavit, sed et alias aperuit; tirocinium suis in Valle Girardi condidit; scholas dominicales pro operariis fundavit, earum praeludium quae nunc sunt ad peculiare excolendas artes et ad perseverantiam christianae institutionis curandam; Seminarium, ut Rhemis, magistris laicis ruralibus formandis stabilivit; nutu demum Iacobi II regis, Anglia extorris, collegium moderandum suscepit, in quo quadraginta nobiles

ex Hibernia ephebi ad humanitatem omnem et ad catholicam pietatem excolerentur.

Non haec tamen hostis humani generis quiete tulit; quin difficile dictu est quot contra difficultates attulerit quantamque viro Dei invidiam conflavit. Illatae lites a coetu magistrorum, qui suos deserere ludos dolebant; fratrum scholae depopolatae, per vim d' missae; amissa amicorum benevolentia; tandem Ioannes ipse a Superioribus ecclesiasticis, ob falsas accusationes, abire munere coactus, suffecto in eius locum externo homine qui religiosos alumnos regeret.

Vir mitissimus omnia benigne tulit, nihilque ideo de studio divinae gloriae remisit. Gliscebatur eo tempore per Galliae urbes ianseniana haeresis lateque mentes inficiebat. Ioannes igitur, cui sanctum semper fuit Romani Pontificis auctoritatem vereri iussaque facere, in Iansenii errores profligandos toto nisu insurrexit. Ratusque haud melius securitati alumnorum sui instituti se posse prospicere, quam si illos Romanae Cathedrae arctissime devinciret; anno MDCC, quum nempe familia eius maxime tempestatibus iactaretur, binos e suis Romam venire iussit, quorum alter Gabriel Drolin fuit, qui viginti ipsos et octo annos in Urbe versatus est legiferi Patris mandata constanter faciens. Quae quidem ad haec capita reduci placuit: Ut consociationis arbor illic figeretur, ubi radices agere valeret altius, scilicet in unitatis centro subque oculis et auspiciis Apostolicae sedis: Ut cum Romana Ecclesia ipso veluti corpore arctius coniungeretur, quae nec deficere neve errare unquam potest, portis inferi frustra contra enitentibus: Ut a Christi Vicario regularum approbatio veniaque tria religiosorum vota emittendi impetraretur: Ut sibi suisque Pontifex bene precaretur facultatemque faceret Christianam catechesim, Episcopis annuentibus, docendi: Ut demum apud Pontificem Maximum suae quasi fidei vadem haberet obedientiaeque sponsorem. Praeclara sane mandata sanctoque digna viro; qui etsi quidquid iniuriarum inferretur tolerabat patientissime, hanc tamen toto nisu a se repellere, si Romanae Cathedrae infestus per calumniam traduceretur.

Missos a Ioanne Baptista alumnos benignissime excepit Clemens XI eisque scholam moderantem attribuit, quod et alii post illum Decessores Nostri fecerunt. — Interea, quum adhuc Parisiis a laicis magistris in scholarum christianarum Fratres turbaretur, Ioannes Baptista Rothomagum advocatus est anno MDCCV, ubi, magnis superatis difficultatibus, ludos aliquot pueris gratis excipiendis aperuit. Paulo post tirocinium in pagum Saint-Yon, prope eandem urbem, transtulit, inque adiectis aedibus magisteria mercaturae atque artium instituit primus. Adolescentes etiam corrigendos suscepit: quos suaviter simul fortiterque moderans ad meliorem frugem adduxit.

Hæc inter, Deo favente, Ioannis Baptistæ institutum augeſcebat. Carnuti, Caleti, Treceis, Avenione, Divione, Maſſiliae, Mimati, Alesia, Gratianopoli, Molinis, Verſallii aliisque in locis ſodales felici exitu deſudabant. At perſecutio deſe non poterat, iis qui pie volebant vivere in Chriſto Ieſu. Maſſiliae Ioannes, optime a civitate exceptus, cum ianſenianos, de Romano Pontifice obloquentes, publice ſevereque redarguiſſet, horum in ſe atque ſuos invidiam concitavit. Quamobrem, eis agentibus, qui iniurioſum etiam libellum in beatum virum ediderunt, Fratrum familia ad extremam primum inopiam devenit: mox vero quotquot erant amici, quin et nonnulli ex alumnis Ioannem deſeruerunt, imprudentiam eius cauſantes immodicumque ardorem. Sic ipſe igitur Pariſiis per calumniam damnatus, Maſſilia pulſus, derelictus ab omnibus, moerentiſſime vivebat; tantamque familiae cladem noxarum ſuarum cauſa eveniſſe reputans, Gratianopolim petiit ut ibi divino placando Numini vacaret, ſive noctes orando ducens, ſive aſteritatibus ſolito ſeſerioribus in ſe ſæviens. Interea puerulos demiffione maxima docebat et, alumnorum inſtituti utilitatibus proſpiciens, mittebat qui eos inviſeret et libros eorum uſui conſcribebat. — Ecce autem Bulla *Unigenitus* in vulgus editur, qua Romanus Pontifex ianſenianos errores damnabat. Tum Ioannes officii ſui eſſe duxit Fratres, qui Gratianopoli erant, ad ſe vocare; eiſque apto ſermone oſtendens quid veneni in damnatis proſiſtionibus lateret, illos graviffimo commonefecit ut a novitatibus abhorrent, traditam Eccleſiæ doctrinam tenerent, reciperent quidquid ipſa recipit, quidquid reſpuit reſpuerent nihilque ſanctius haberent quam eidem, ſeu per Concilia ſeu per Romanum Pontificem docenti ac iubenti parere penitus. Quæ quidem Patris monita non fuiſſe irrita probat conſtantia qua Sodalitium ab eo fundatum ſedi Apoſtolice ſemper obtemperavit.

Anno MDCCXIV Ioannes iterum Pariſios advocatur a ſuis. Paruit ille advocantibus, at eo præcipue ſpectans ut vetus proſiſtutum exequeretur ſeſe demum regimine abdicandi. Id illi et demiffio animi et prudentia ſuadebat; cogitabat enim, ſi unus ex Fratribus ſodalitico regundo præponeretur, fore ut ceteri libentius eſſent dicto audientes nec de inſtituto quidvis facile mutaretur. Quamobrem negotium ſubinde cum unis alteriſve agebat: et quamvis primum inutili conatu, demum, coacto Rothomagum coetu, die Pentecoſtes anno MDCCXVII voti compos eſt factus, ſuffecto in eius locum fratre Bartholomæo. — Alterum erat quod in ipſo coetu tractandum ſuſciperetur, legum videlicet cognitio, quæ magnam partem iam ſervabantur et a Ioanne Baptiſta, anno circiter MDCXCV, conſcriptæ fuerant. Cuius rei providentia tota a Sodalibus Ioanni ipſi permiſſa eſt; qui, ſuprema manu adhibita, regularum codicem ad omnes Sodalium familias, in poſterum ſervandum miſit. Cui, utpote ſapientie pleno et ſupernaturalis

ſpiritus et ad praxim vel maxime accommodato, accēſſit poſtmodum Benedicti XIII P. M. ſanctio.

His peractis Ioannes biennio adhuc vixit, quo tempore meditari coeleſtia, corpusculum ieiuniis, flagellis, ciliciis atterere, obedire in exemplum, fratres piis adhortationibus et confeſſionibus excipiendis iuvare, illi fuit aſſiduum. Semel tantum ſecefſum ſilentiumque interrupit: tum videlicet quum Ianſeniani ipſius nomen eos inter inſcribere ſunt auſi, qui vulgo *appellantes* dicebantur; nam datis publice litteris, calumniam a ſe removit, iterum iterumque teſtatus ſibi nihil antiquius nihilque ſanctius quam eſſe ac manere in Romani Pontificis obedientia.

Ut vero Deus ſervi ſui merita impleret opprobriis ſaturari ad finem uſque permiſit. Nam turpis mendacii apud Archiepiſcopum ſuum per invidiam accuſatus, data ab Antitiſte ſententia, omni poteſtatis exercitio in conſcientiæ foro privatus eſt. Damnationis nuncium viro Dei extremo ex morbo decumbenti delatum fuit, quod ille miſſiſſime accepit nil tendens contra.

Instante quadrageſima anno MDCCXIX, ad rheumatiſmi dolores, quibus Ioannes iamdiu laborabat, accēſſit anhelationis difficultas gravis ob aſthma et offeſſio capitis fortuito ianuae cuiuſdam lapſu. Quibus ex cauſis cum ſibi haud porro diu vivendum audiffet, magnopere lætatus eſt quod liceret tandem in gaudium Domini ſui intrare. In præludio feſti S. Ioseph, cui ille ſe ſuamque ſodalitatem dicaverat, ſacris operari exoptavit; Deoque repente vires reddente, ſequenti die ad aram fecit; quod reputantes alumni eius, geſtiebant lætitia, erat enim fiducia reſtitutæ in integrum ſanitatiſ. At paucis exactis horis, ingraveſcit morbus, mors adeſt imminens. Quod Ioannes advertens, ſuprema diſcipulis mandata dare voluit, quibus arreptum perfectionis iter tenere conſtanter pergerent. Præter obedientiam mutuanque caritatem, commendavit præcipue, obtemperationem et obſervantiam Apoſtolice ſedi, ad quam, inquit, ſe duos miſiſſe alumnos, qui Romæ degerent, teſtes additiſſimæ voluntatiſ ſuæ atque ipſorum. Amarent autem toto cordis affectu Ieſum Chriſtum ſervatorem noſtrum, eique frequenter per Euchariftiam auguſtam coniungerentur. Tum ſanctiſſimam Matrem eius in deliciis haberent, et caſtiſſimum illius Sponſum, Sodalitii patronum, peculiari cultu proſequerentur. — Biduo poſt, extrema Eccleſiæ Sacramenta expetivit. Dumque ad illum ſacrosanctum Chriſti Corporis viaticum deferretur, cubiculum decentius inſtrui voluit, ſeque veſtibus, amiculo et ſtola indui; novasque caritate vires ſufficiente, Euchariftiam de genu adoratam ſumma cum reverentia ſuſcepit. Feria v maioris hebdomadæ ſacro oleo inunctus eſt; gratiſque Deo agendis ſeptem ipſas horas impendit. Sub veſperum, fratre Bartholomæo eſſlagitante, univerſis Inſtituti alumnis bene precatus eſt. Tum ſtatæ preces habitæ ad animi exitum commendandum; hiſque perſolutis, iterum fratribus

inculcavit ut a mundo abhorrentes, viverent ac morerentur in ea vocatione qua vocati fuerant. Duas et sesquihoram iam in supremo agone immotus persistebat, cum protinus, velut a somno excitus, praescriptam sodalibus serotinam preceationem *Maria mater gratiae* devote recitavit: deinde exclamans: *Adoro in omnibus voluntatem Dei circa me*, oculis in coelum sublatis, manibus decussatim positis, placide obdormivit in Domino; hora fere quarta feriae sextae maioris hebdomadae, die VII aprilis MDCCXIX, aetatis anno sexagesimo octavo.

Vixdum famuli Dei mors innotuit, unus omnium fuit moeror: omnes, nulla cuiusvis coetus vel conditionis exceptione facta, defuncti virtutes et benefacta extollebant. Cum corpus exanime, sacerdotali amictu, in sacello expositum fuisset, magnus undique concursus fuit; quod item in funere accidit. Nullus autem abire volebat quid aliquid de indumentis eius auferret, tamquam pretiosum pignus servandum.

Neque haec supra meritum; tanta enim erat apud omnes eius sanctimoniae fama et existimatio. — Quae quidem fama, procedente tempore non vixit modo sed aucta est; accesserunt etenim signa quibus confirmare illam Deus ipse videbatur, simulque ostendebatur placere Numini aeterno ut coelestes Ioanni Baptistae honores decernerentur. Quae tamen post tempus aliquod gravissimae in re publica turbationes sunt factae, pium impedire officium. Serius igitur processus initi auctoritate ordinaria; quibus, Rothomagi, Rhemis ac Parisiis confectis et in Urbem demum delatis riteque perpensis, Gregorius XVI fel. rec. commissionem introductionis causae sua manu signavit Kalendis maii anno MDCCCXXXIX. Deinceps, praemissis, prouti ius est, Apostolicis processibus eisdemque probatis, in sacrorum Rituum Congregatione de heroicis Ioannis Baptistae virtutibus agi coeptum; ac Pius IX decessor Noster, Kalendis novembribus anno MDCCCLXXXIII edixit solemniter: Ita constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, ut procedi posset ad discussionem quatuor miraculorum.

Placuit tamen Nobis ut, pro decernendis Ioanni Baptistae coelitem Beatorum honoribus tria tantum miracula proferri sufficeret. Fuerunt autem: Instantaneae perfectaeque sanationis fratris Adelminiani e Congregatione scholarum Christianarum ab ataxia locomotrice progressiva; Instantaneae perfectaeque sanationis decennis pueri Stephani de Suzanne a lethali bronchite capillari; Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Magdalenae Victoriae Ferry ab hydropericardite chronica insanabili, aliis gravissimis morbis complicata. De quibus, postquam triplici disceptatione a sacra Rituum Congregatione fuerunt cognita; Nos ipsi solemniter Decreto constare ediximus Kalendis no-

vembribus anno MDCCCLXXXVII. Ad rem igitur conficiendam unice supererat ut dubium discutiendum proponeretur: An stante approbatione virtutum ac trium miraculorum tuto procedi posset ad solemnem Ven. Ioannis Baptistae beatificationem. De ea re *affirmative* responsum in generali Coetu eiusdem sacrae Congregationis Rituum, in Vaticanis Aedibus XVII Kal. decembres MDCCCLXXXVII habito coram Nobis; qui idecirco, v Kalendas, decrevimus: Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Servi Dei Ioannis Baptistae De la Salle beatificationem. Et haec reapse ad Vaticanum solemniter peracta fuit die XIX februarii anno MDCCCLXXXVIII.

Post illa, alia atque plura, Beato novensili deprecante, placuit Deo patrare miracula. Ex quibus duo electa et proposita ad Canonizationem impetrandam. Primum accidit Leopoldo Tayac adolescenti in Ruthenensi Galliarum Collegio educationis causa commoranti. Hunc, anno MDCCCLXXXVIII, dira incessit pneumonites quam, quia sanguinem infecisset, sanari nullo pacto posse iudicavere medici. Morbi gravitate vix cognita, collegii Moderator preces ad beatum De la Salle statim adhiberi iussit. At morbus saevior factus; accessere quin imo convulsiones dirae, quibus miseri adolescentis animus turbabatur penitus et corpusculum horrendum in modum iactabatur. Spem tamen non despondit Moderator, sed monuit suos precibus instandum impensius. Haec inter puero iam animam agenti mater aderat: cum repente aegrotus expergefactus illam suavi obtutu respicit, agnoscit, seque sanum profitetur. Teterrimi morbi symptomata evanuisse advocati medici mirantes testati sunt.

Contigit miraculum alterum anno eodem in religiosa domo vulgo *Maisonneuve* prope Marianopolim. Netheelmus e Sodalicio scholarum christianarum, ob laesam spinam, tam gravem contraxerat poliomielitem ut absoluta prorsus paraplegia laboraret, cruribus praeterea non modo inflatis sed alte vulneribus affectis. Orabat miser ut coelitus auxilium ferretur; sed frustra; cum Superior illi suasor fuit ut ad Beatum Fundatorem confugeret. Paruit Netheelmus; et postquam sancta de altari libaverat, dum acerrime doloribus torqueretur, ad Beatum conversus: Si vis, exclamavit, tu potes me sanare. Dixerat: illico in crura vis rediit; abiecto baculo, certo gradu Netheelmus incedit, nullo vulnerum vestigio servato.

De his igitur miraculis postquam triplici, ut iura ferunt, actione disceptatum esset, Nos, die XXX Aprilis superiore anno, solemniter decrevimus: Constare de duobus propositis miraculis: Instantaneae videlicet perfectaeque sanationis Leopoldi Tayac a gravissima pneumonite cerebralibus atque letiferis stipata symptomatibus; et Instantaneae perfectaeque sanationis Fratris Netheelmi e Congregatione scholarum christianarum a poliomielite chronica transversa lumbari et ab ulceribus in crure.

Reliquum ergo erat ut in generalibus sacrae Rituum Congregationis Comitii dubium proponeretur: An tuto procedi possit ad solemnem B. Ioannis Baptistae De la Salle canonizationem. Id factum die XXIX maii anno superiore; omnesque quotquot aderant tum Dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales, tum eiusdem Congregationis sacris tuendis ritibus Consultores, suam protulere sententiam. Qua rite excepta, Nos ipsi, post imploratum a Deo auxilium, die II Iulii eodem anno, Dominica VI post Pentecosten, solemniter ediximus: Tuto procedi posse ad solemnem B. Ioannis Baptistae De la Salle Canonizationem.

His omnibus praemissis et constitutis, ut in solemni caeremonia cuncta quae a Praedecessoribus Nostri, ad eius celebritatem et decus sapienter praescripta sunt, felicem exitum obtinerent; primum S. R. E. Cardinales universos, die XIX Aprilis labente anno, sententiam quemque suam prolaturos, in Consistorio Nobis adesse iussimus: qui, dilecto filio Balthassar Capogrossi Guarna, Consistorialis aulae Advocato de gestis Beati Ioannis Baptistae dicente audito, Nos ad legitimam huius causae definitionem uno ore cohortati sunt. Curavimus interea ut non viciniore solum Episcopi sed remotissimi quique de tanta solemnitate, per litteras a sacra Concilii Congregatione in id datas, admonerentur, ut Nobis, si facultas esset, adstarent sententiam item suam prolaturi. Qui cum ex regionibus universis non pauci convenissent; causa probe cognita tum ex iis quae gesta eo usque fuerant, praesertim in publico Consistorio coram Nobis, ut diximus, tum ex Actis sacrae Rituum Congregationis, quorum exemplar singulis est traditum; in Consistorio semipublico, die X Maii hoc anno, pariter coram Nobis coacto, in eandem omnes, ac Dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales, ivere sententiam. Cuius rei instrumenta publica, a dilectis filiis sedis Apostolicae Notariis confecta, in tabularium sacrae Rituum Congregationis illata sunt.

Solemni igitur Canonizationi celebrandae diem praefinivimus XXIV Maii, qua die memoria D. N. Iesu Christi, triumphato humani generis hoste, in coelum ascendentis hoc anno recolatur. Interea tamen, communi indicto ieiunio, fideles vehementer hortati sumus ut ferventes ingeminarent preces, iis praesertim in templis, ubi Sacramentum augustum publice adorandum ex praescripto exponeretur; ideo videlicet ut et ipsi ex tanta caeremonia uberiores perciperent fructus, Nobisque in tam gravi officii Nostri munere Spiritus Sanctus benignus adesset.

Advenit demum auspiciatissima dies et optatissima. Quamobrem cuncti tum saecularis tum regularis cleri Ordines, cuncti Romanae Curiae Praesules et Officiales, omnes denique, qui Romae aderant, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates in Vaticanam Basilicam, cultu

